
DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS; manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis trigesimâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXV.

M. NATALI-MARIA DE GEVIGLAND, Regiorum in Germaniâ Ducum & Militum Nosocomiorum nuper Medico, vices gerente M. DE RABOURS, Doctoris Medici, Præsidis.

An ab animi æquabilitate Sanitas?

I.



UAM fragilis, quàm citò peritura hæc sanitas, quâ nitet homo vigentem adeptus ætatem & à naturâ benè constitutus! Scilicet quot tenellos flores, qui redeunte vere suam restituunt hortis amœnitatem, tot corpus humanum circumveniunt pericula. Si enim densior sit aer, quem spirat, pulmones ultrà modum distendendo, ruptis undequàque vasis hæmoptoen ciet; si rarior, inspirationi promovendæ impar, liberæ nocet circulationi. Ejusdem humiditas aut siccitas, calor aut frigus vicissim & diversimodè humanam afficiunt compagem; nec minùs ab impuris, quibus scatet particulis, damnum imminet. Quod assiduis exhalationibus excretionibusque de corpore abit, id assiduò reparandum est. Sed nisi alimentorum copiam, ritè perpensâ eorum naturâ, ad jacturas viresque digestivas accomodaveris, non rorem inferes beneficum, partibus nutriendis idoneum, sed exitiale infundes sanguini venenum, quod occultò sese insinuans miseros artus depascetur. Diurnis exhaustum laboribus vespere corpus defatigatur, languet, fatiscit & occlusis oculorum palpebris, obtusâ sensûum acie, plerisque motibus suspensis, amicus obrepit somnus: qui si diutiùs protrahatur, humores per vasa lentiùs vecti fibris debilioribus incumbunt; acescunt autem, si breviori contrahatur tempore. Omnia turpi obruuntur veterno in corpore quieti diuturniori dedito; quod si frequentiori motu agitetur, subtilissima avolant partium principia. Quidquid peractâ nutritione supervacaneum est, extra corpus pellatur; quidquid utile, resorbeatur; sin minùs, ab inconsultò retentis infarctus & inflammatio, ab immoderatè excretis exinanitio & debilitas. Nec satis: fuge intensiores animi affectiones, quæ licet interdùm gratæ non levem noxam important: sic florenti sub herbâ dolosus sæpè latet anguis. Ea quippe corpus inter & animam intercedit necessitudo, ut quælibet mutatio alterius alteri mutationem inferat & ex hâc in illam actio refundatur. In homine, cujus organa vel ob nativam indolem, vel ob peculiarem dispositionem sunt sensibiliora, anima vividiùs objectorum percipit imagines; torpet autem in illo, cui sensus obtusiores obtigêre. Pariter validam in corpus exercet actionem mens expeditâ pollens alacritate, dùm vix sensibilia sunt organa, quibus regendis præest mens nullo suscitanda stimulo. Igitur à diverso animæ statu diversa pendet corporis habitudo, ab animi æquabilitate liberum functionum exercitium, ab ipsius perturbatione earumdem læsio.

II.

ERRAVERE Physici, dùm in explicandis quibusdam corporis humani phœnomenis effectum pro causâ in medium protulerunt. Seu enim ad spiritûum animalium influxum, seu ad partium sensibilitatem confugerint, non indè motûs & sensa-

tionis mechanismus certò innotuit. Expeditius erat ipsis operosumque minùs principii summè activi imperium agnoscere, animæ scilicet, quæ mediantibus organis sensationes percipit motusque voluntarios determinat. Hujus natura & proprietates non hîc disquirendæ veniunt, nec enodandus ille nexus, quo jungitur corpori; sed effectus ex utriusque relatione dependentes mutuamque alterutrius actionem satis erit expendere. Organa, quibus corpus cum animâ commercium init, sunt nervi; qui si irritentur, anima dolet; si blandè titillentur, voluptatem persentit; si autem eorum vis obtundatur, nulla fit perceptio. Hinc molestiam cacophonia, gaudium dulce melos parit, dum læso nervo auditivo nulla percipitur idea soni. Certum quippe est, quamvis explicatu non facile, à corporibus extrà nos positis sensus nostros vividè & jugiter affici. Hinc innumeræ animam subeunt sensationes, quæ per organa, veluti per totidem patentes januas, intromittuntur. Sic nascuntur ideæ, quas mens contemplatur, combinat, digerit, assimilat & secernit, ut ex eductorum indè judiciorum consortio ratiocinia emergant. Quintuplicem natura concessit homini sensûum speciem, per quos, ceu per continuos canales, quælibet sensibilis objectorum qualitas ad animam usque penetrat. Variis enim agentibus nervis, vel diversas luminis modificationes, vel tremulos aeris è corpore percusso resilientis motus, vel grata aut ingrata naribus effluvia, vel salium spicula, vel demum corporum asperitatem, lævitatem, soliditatem, mollitiem & extensionem anima discernit. Indè maxima sane probatur corporis in animam actio; nec minùs patebit animæ in corpus dominium. Quascumque experitur corpus mutationes, non semper ab objectis externis ortum ducunt immediatum; sed plurimæ excitantur ab animâ, quæ vel easdem, quas à corpore recepit, vel novas in ipsum remittit, eumdem producturas effectum, ac si tunc verè à causâ exteriore commoverentur organa. Quemadmodùm æquorei fluctus percusso littore in altum reflui, velociori mox impetu ad littus repelluntur, sic impressæ corpori mutationes ad animam transeunt reflectunturque posthàc in organa, vividiorem interdùm alterâ vice sensum excitaturæ. Aspice virum collati beneficii benè memorem, dùm præterita gratè revocat, leviter commoventur ipsius præcordia & lacrymæ, lætitiæ signum, quandoque per genas sponte depluunt. Quoties menti recursat nefandi sceleris imago, corpus horret, aversantur oculi, gelidus torpet in vasis cruor; si contrà dilectæ puellæ idea obvolvatur animo, quàm gratè titillantur sensus, quàm jucundè afficiuntur, quàm leni motu per diversa corporis puncta diffunditur sanguis lætè fluens! demùm quantum sit animæ in corpus imperium mirè comprobant imaginatio, delirium, & somniorum lusus. Quis ergo reciprocam animæ in corpus actionem neget? At in eâ actione varii sunt gradus pro variâ utriusque dispositione.

I I I.

Ex amore & odio tanquam è duplici fonte dimanare videtur omne genus animi pathematum; hinc nascuntur primò mœror & gaudium, assidui utriusque comites. Percepta objecti amati utilitas menti inducit cupidinem; spem autem generat ejusdem præconcepta possessio. Ab impedimentis non facilè removendis anxietas ortum ducit, à jacturâ luctus, à concupitâ alterius felicitate invidia. Producitur ab odio mètus, qui si intendatur terror evadit. Idem iram promovet, quæ in furorem abit. Diversæ sunt amoris species, ut diversa sunt objecta amore prosequenda. Hinc auri, gloriæ, litterarum &c. amor. Hanc affectionum diversitatem progenerant corporum externorum innata vis, dispar ipsorum ad organa relatio, peculiaris demùm organorum dispositio. Quapropter formidinem noctis umbræ incutiunt, hilaritatem matutina lux advocat; huic juvat, illi displicet ejusdem jecti præsentia; quidam ad iram promptiores sunt, quidam ad amorem; nec raro accidit ut, mutatâ partium diathesi, ignota anteà exurgant animi pathemata. Ex his alia subitâ, alia tardâ corpus labe inficiunt, pro intensiori aut remissiori suâ actione variâque nervorum constitutione. Maximus interdùm & subitus dolor aut improvisus lætitiæ sensus mortem inferunt. Plures tristi nuncio oppressi statim occubuêre; interiit etiam præ nimiâ exultatione mulier vivum amplexa filium, quem mortuum luxerat. Si virum incertis fortunæ casibus agitatum premat anceps prosperæ aut adversæ sortis expectatio, tunc laborantem animum manifestat contracta

facies, artuum languor, organorum hebetudo. Intuearis terrore perculsos: hic loco se movere nequit, ille totus contremiscit; alterius genua titubant, vox hæret faucibus, horrescunt capilli, quinetiam albescunt; alterius fibræ ita relaxantur, ut alvum invitus exoneret. Quàm dissimilis in homine irâ percito habitus! ut rubet facies, ut oculi micant, ut musculi contrahuntur! omnia fortem & impavidum nunciant; sanguis celeriori per vasa rapitur impetu, febrilis ardor inest partibus: ille pertimescat apoplexias, hæmorrhagias, anevrismata cæterasque morborum species à nimis agitato sanguine prodeuntes. Plurimos homines ad certam perniciem devocat tristis invidia. Nonne oculi truces & ad terram demissi, vultus non suî compos, perpetuæ vigiliæ, longa suspiria, animum ægrotantem & irrequietum indicant, qui vel vindictam molitur, vel dolorem tacitè devorat? Hinc languente humorum cursu, fibris solutis, impeditâque nutritione, tabes & atrophia. Nec minùs miseranda eum manet sors, qui parentem optimum aut amicum fato functum queritur; ut Philomela, amissis fœtubus aut fideli orba compare, in profundos secedit nemorum recessus, sic ille deserta petit loca, cæterorum hominum aversans colloquia & aspectum, veniente die & decedente luget, noctes insomnes traducit, cibi immemor dolori totus est. Indè oris siccitas, humorum nullo aut depravato chylo renovatorum acrimonia, major in nervis sensibilitas, variæque obstructiones. Perturbantur quoque functiones in iis, qui longæ & attentæ incumbunt meditationi. Spiritus enim in cerebro veluti retenti cæteris movendis partibus non impenduntur. Ideò viri litterarum & scientiarum cupidi ut plurimùm debiles sunt, appetitus eorum languet, stomachus muniis suis ritè adimplendis impar est, humores minùs mobiles in receptaculis concrescunt. Suum etiam ex amore corpori damnum inest: finge tibi puellam de amico juvene continuò cogitantem: ludos pueriles respuit, obmutescit olim garrula, defixis oculis secum reputat, jam non pede saltat libero, jam non hilaris est; sed tristis & morosa sedere amat, languent artus, appetitus sternitur, &, quæ nuper erat tam pulchra visu, facies, nunc marcore & pallore defædatur; chlorosi, quinetiam ictero quandoque laborat: adeò illi amor est exitio. Quàm diversæ igitur è fœcundo pathematum fonte eruuntur corporis læsiones, quas averteret aurea mentisæquabilitas!

I V.

IN perfecto solidorum & fluidorum, ex quibus humanum corpus coalescit, æquilibrio consistit sanitas, quâ nihil jucundius, nihil optabilius, nihil præstantius. Ille tanto naturæ beneficio potitur, cujus anima pacatum exercet in corpus dominium. Cæteris supereminens, ceu rupes in mediis fluctibus, nullis vitæ tempestatibus quatitur. Non illum obruit dolor, tot malorum fomes, non nimia effert lætitia. Ille imminentia capiti pericula improborumve dolos non pertimescit; cupidinibus liber nihil avidè appetit; quod sibi obvium est, arripit, nec amissum luget; prava jubenti non servit livori; non fallacibus amoris lenociniis irretitur; ferventis iræ impetui inaccessum præbet pectus; idem in rebus intricatissimis nullo obcæcatus affectu verum à falso secernit; quod melius est videt probatque deteriora non sequens. Quis tali non invideat conditioni, cùm ex eâ tot & tanta in corpus diffluant commoda? Singulas enim pervolve functiones in homine æquabili animâ prædito. Quàm apprimè, quàm gratè, quam constanter exercentur! cor nullâ perturbatione relaxatum constrictumve eamdem in arterias protrudit undam sanguinis, quam à venis recepit. Impressum à corde motum perpetuò renovat vasorum elasticitas; hinc nullum circulationi obstat in capillaribus impedimentum; hinc succi nutritii æquali ratione detritis partibus succedunt; nec dissimili normâ, patente sanguini per pulmonum meatus viâ, respiratio peragitur. Multiplicis secretionis materies à communi sanguine orta ab eo facilè secedit suum invisura organum. Ubi in ventriculum ingeruntur alimenta, digestivi latices, nec acres, nec effœti partium dissolvunt compagem, ut humor depromatur lacteus, qui vasa subiens propria cruori blandè affundatur. Pariter in æquanimitate functiones animæ imperio subditæ optimè exercentur. Non enim mentitæ, sed genuinæ corporum qualitates mediantibus organis ab animâ percipiuntur. Adde quòd, nullâ accedente rerum perturbatione, tacitè & perfectò

digeſtiones abſolvuntur, ſomnus deliriis curiſque vacuus languentes reficit artus nullaque ſubita fit cujuſlibet humoris ſuppreſſio aut refluxus. Homini ergo animi pathematis libero omnia in beneficium cedunt, nulla in ruinam. Etiamſi aër, quem ſpirat, putridis inficeretur particulis, aut nullam ipſi noxam, aut ſi quam inferret, levis eſſet & facilè corrigenda: in morbis enim epidemicè graſſantibus ſoli à communi labe immunes ſe præbere ſolent, qui nec terrore, nec alio animi pathemate afficiuntur. Intimam eorum ſcrutare animam, qui diù & feliciter vivunt; hanc nullâ rerum mutatione dimovendam eſſe perſpicies. Non multis abhinc annis centenarius occubuit vir celebris, qui litterarum & ſcientiarum amans amœnâ florebat urbanitate; ideò tandiù vixit, quia omnium vitæ voluptatum veluti ſumma lambebat nulli totum ſe dedens, nec ullus eum eventus à nativâ deturbabat hilaritate. Tum igitur ratiocinio, tum experientiâ comprobata manet animi æquabilitatis utilitas in libero functionum exercitio.

V.

FELICES, quibus natura infudit animam nullo perturbationum genere commovendam! Plurimorum malorum expertes longam ducunt ætatem, ſolâque corporum irruentium vi, aut lento partium detritu labefactantur. At inter varias animæ affectiones, inquient nonnulli, quædam, ut amor, ſpes & voluptas, non parum functiones juvant. In iis enim cordis vires intenduntur, liberiùs per vaſa fluunt humores, ſpiritus neſcio quis amicus per omnes ſeſe inſinuat partes; undè corpori robur & nova vis. Quæ tamen indè conſequitur utilitas, fugax eſt & fragilis. Salutaria hæc libenter fatebimur pathemata, quæ moderata ad æquanimitatem propiùs acceſſerint; ſi verò temperantiæ modum paululùm exceſſerint, noxia reputanda ſunt. Amor pluribus acceptus, truculentum morbi genus aliis dicitur. Voluptas viam ingreſſa floribus conſperſam, mixtis ſæpè læditur ſpinis. Spes, miſerorum dulce levamen, ſæpè infortunium ſequitur; ſæpiùs etiam damnosâ ſtipatur anxietate. Mentis autem æquabilitas, quæ nec dulces amoris novit ſtimulos, nec cœcos cupidinis furores, placidum ſemper fovet humorum decurſum, jucundam inducit ſenſibus quietem inſidioſis voluptatum illecebris non perturbandam; undè ſanitas diù conſervatur. Objicient fortè quidam phlegmaticâ temperie inſtructos non cæteris meliùs conſeneſcere, licet ob nervorum copioſo immerſorum ſero mollitiem minori gaudeant ſenſibilitate. Sed uberior ſeri copia fibras obruendo debilitatem infert, robur ſufflaminat; undè ſi pathema vel levius miſeris ingruerit, triſtities putà, grave damnum incutit & brevì functiones peſſumdantur. Ea præcipuè manet ſors urbium incolas, qui deſidem agentes vitam affectibus animi faciliùs excruciantur, dieſque ærumnis & infirmitatibus refertos tranſigunt. Cur autem agreſtes viri, effrenatis cupiditatibus minùs obnoxii, infirmitatibus tamen laborant immaturoque ſæpiùs præripiuntur fato? Eâ præditi conſtitutione ut diutiſſimè vivant, ſuæ conditionis vitio, mille malorum ſpeciebus impugnantur. Hinc natorum & uxoris cura, illinc tributa ſolvenda, annonæ caritas durique labores viribus imparibus tolerandi, infelices torquendo, vel diverſo diuturnorum morborum genere afficiunt, vel citiſſimè è medio tollunt. Econtrà, ſylveſtres Americæ ſeptentrionalis incolas conſpice, quorum libertas acuit animos; viribus confidentes propriis non edacibus corroduntur curis; quod victui diurno ſufficit, facilè ſibi parant minimè ſolliciti; vitam ſub dio degentes rarò ægrotant & longævi moriuntur.

Ergò ab animi æquabilitate ſanitas.

Proponebat Pariſiis HENRICUS-ALEXANDER TESSIER, Carnutenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos autor, A. R. S. H. 1775, â ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1775.